



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Andreæ Goveano Gymnasiarchæ Burdigalensi. XL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

que in eo, quod tibi aliquid boni afferret,
collocare. Vale.

ANDREÆ GOVEANO

GYMNASIARCHÆ

Burdigalensi. XL.

ETSI perspectam habebam humanita-
tem tuam erga eos, qui tuæ fidei com-
mitterentur: tamen non putavi faciundum,
vt quam pietatem in te agnoscerem, in
meipso desiderarem. Mitto maximum na-
tu liberorum meorum ad vos, quorum au-
spiciis te duce atque moderatore euadere
possit is, quem neque in disciplinam ve-
stram me tradidisse, neque vos instituen-
dum suscepisse pœniteat. Ac quanquam
eius indoles maturius me acuere debuit
atq. ipsius cōmodis prospicere, tanta tamen
horum est acerbitas temporum, vt multum
me diuque suspensum animi habuerit: cum
equidem illum malle inter operas triuia-
lium marcescere, quam ire perditū sese at-
que atatem suam per eorum insolentiam
ac prauitatem, quorum ipsum & voluissem
& sperassem futurum aliquando castigato-
rem. Et erat valetudine paulo minus secun-
da, quæ impræsentia facta firmior excitauit

K 3

memo

memoriam in me tuorum erga repub. literariam meritorum, cuius virtutibus atque sapientiæ crederem fortunas meas: quarum magnitudinem neque in veteri splendore, neque in noua dignitate, sed in liberorum meorum eruditione atque frugalitate positam existimabam: quo futurum est, ut cum susceperis hunc, quantum ille profecerit in literis; tantum ego progressionis sim facturus ad vitam: , quæ in me per se breuis ac fluxa eius successione cum sit propaganda, sine illius ornamentis iam nunc vero acerba sit futura mihi. Quare, mi Goueane, te vehementer obsecro atq. etiam obtestor pro tua pietate, ita hunc habeas commendatum, ut in eo animi bona excoluisse, in me etiam animum ipsum seruasse videaris: neque potius in fortunæ temeritate, quam in tuis consiliis atque auctoritate tam boni patris spes sitas fuisse intelligam.

DOMINO IOANNI

GELIDÆ GYMNASIARCHÆ

Burdigalensi Scaliger S. XLI.

NON eram nescius te esse non solum Aquitanici Gymnasi principem, sed etiam omnium bonarum artium, studiorum
que